Collection de la Bibliothèque des Exercices
de saint Ignace

ETUDES ET DOCUMENTS
paraissant tous les deux mois

N° 35
Septembre 1911

DUO ANTIQUA

Exercitiorum Directoria

A

PP. HOFFÆO et CECCOTTO, S. J.



ENGHIEN (BELGIQUE)
BIBLIOTHÈQUE DES EXERCICES

PARIS
P. LETHIELLEUX, EDITEUR
10, rue Cassette, 10.

REIMS
ACTION POPULAIRE
5, rue des Trois-Raisinets.

Collection de la Bibliothèque des Exercices.

But. — Faire connaître peu à peu tout ce qui intéresse l'étude et l'histoire des *Exercices spirituels* de saint Ignace ; fournir, dans l'ordre pratique, les documents utiles à l'organisation, au recrutement et à la direction des *Retraites*.

Mode de publication. — Il paraît un fascicule tous les deux mois, de Janvier à Novembre. Les six fascicules comprennent ensemble au moins 320 pages et forment, après deux ans, un beau volume in-8° avec table méthodique.

Conditions d'abonnement. — Pour la **Belgique,** fr. 3.50 par an. S'adresser à la Bibliothèque des Exercices, 7, rue des Augustins, Enghien. Payer en *bon de poste* ou sur présentation d'une *quittance postale.*

Pour la **France,** fr. 3.50 par an. S'adresser à la Librairie P. Lethielleux, 10, rue Cassette, Paris.

Pour les autres pays de l'**Union postale,** 4 fr. par an. S'adresser à la même librairie. Si quelque abonné préfère payer son abonnement par l'intermédiaire de la Bibliothèque des Exercices, il est prié de le *déclarer expressément.*

Les nouveaux abonnements sont reçus à Enghien et à Paris.

On peut s'adresser aussi, tant pour l'abonnement que pour l'achat de numéros séparés, aux bureaux de l'Action populaire, 5, rue des Trois-Raisinets, Reims (Marne).

1906

1. **S. S. Pie X et les Œuvres de retraites.** P. Debuchy. 20 pp. *Epuisé.*
2. **La Maison de retraites de Vannes au XVII^e siècle.** H. Chaurand. 52 pp. . . . . 1 »
3. **De la formation d'une élite pour les Œuvres et pour les Paroisses dans le cénacle de la Retraite.** H. Watrigant. 50 pp. . . . . 1 »
4. **Les confréries du T. S. Sacrement et les retraites fermées d'hommes en Belgique.** R. P. Dieudonné, O. C. 44 pp. . 0.80
5. **De la direction des retraites collectives** (à Bologne, fin du XVII^e siècle). C. Ettori, S. J., III pp. . . . . *Epuisé.*
6. **Introduction à l'étude des Exercices spirituels de saint Ignace.** P. Debuchy. 72 pp. . 1.40

Les numéros marqués **épuisés** *ne sont plus vendus qu'avec la série complète.*

Collection de la Bibliothèque des Exercices de St Ignace

N° 35. PP. HOFFÆUS et CECCOTTI, S. J.

DUO ANTIQUA

Exercitiorum Directoria

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California

Avis de l'Editeur.

Nous avons déjà publié, dans le fascicule n° 15 de la CBE., un Breve Directorium *ancien. Le volume que les rédacteurs des* Monumenta historica Societatis Jesu *préparent sur les Exercices, contiendra probablement quelques autres* directoires *en usage dès les premiers temps de la Compagnie. Dans l'attente de ce précieux recueil, nous voudrions contribuer encore, pour notre faible part, à l'histoire de la direction des Exercices, en publiant deux directoires antiques inédits, qui sont entre nos mains.*

Le premier est du P. Paul Hoffœus, Provincial de la Germanie Supérieure. La copie que nous avons découverte de ce directoire, dans les archives d'une de nos maisons de France, a quelques détails défectueux. Nous avons essayé de compléter le sens de

trois ou quatre phrases, en y ajoutant un mot qu'on trouvera entre crochets.

Le second directoire est extrait d'un manuscrit du P. Jean-Baptiste Ceccotti, de la Province Romaine. Ce manuscrit, qui a pour titre : Directio pro Exercitiis, *se conserve aux Archives royales de Belgique à Bruxelles (Fonds Jés., Prov. Flandro-Belge, carton 1132).*

Il nous a paru utile de reproduire, avant chaque directoire, la notice consacrée à son auteur par le P. Sotwel, dans la Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu, *Rome, 1676.*

H. W. S. J.

De P. Paulo HOFFÆO

(SOTWEL, *Bibliotheca*, p. 648.)

Paulus Hoffæus natione Germanus, patria Bingensis ad Rhenum in diæcesi Moguntina, magnum Societatis, et Germaniæ lumen de quo, et de Petro Canisio usurpabat sapientissimus Bavariæ Dux Albertus, ut refert Andreas Brunner in Excubiis tutelaribus pag. 551, quod Ecclesia de principibus Apostolorum, *Petrus Canisius, et Paulus Hoffæus, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine.* Is cum Bingæ in patria ex editissima turri decideret, vovit se, si incolumis evasisset, Societatem nostram, vixdum natam, ingressurum, et illico surrexit incolumis. Embricæ, Coloniæ, Romæ litteras humanas divinasque complexus, inter primos Collegii Germanici anno 1552, quod S. P. N. Ignatius moliebatur tunc in Urbe, clientes adscitus, triennio post ab eodem Societati transcriptus est. In Romano Collegio ministrum egit sub rectore Sebastiano Romæo. Anno 1558, creatus Bononiæ theologiæ doctor, in Germaniam missus est, et ab inde triennio ad diem 16 Martii solemnem quatuor votorum professionem Pragæ emisit; et paulo post Joanni Victoriæ in regendis Viennæ studiis snbstitutus, jus etiam divinum ibi interpretatus est. Lapso triennio vocatus Ingolstadium, Nicolao Lanoio in Collegii rectoratu successit.

Præfuit etiam nostris Monachii, et totis tredecim annis Germaniæ Superioris Provinciam moderatus est; principibus tum Austriis, tum Boicis, ob virtutis et sapientiæ opinionem singulari veneratione cultus. Quatuor Congregationes Generales adiit, ter ad electionem Præpositi Generalis. Anno 1581, quo Claudius Aquaviva suffectus Everardo Mercuriano est, Hoffæus qui Provincialis eo venerat, designatus pro Germania Assistens, Romæ substitit. Post annorum decadem eo munere defunctus, lustravit Visitator Germaniam Superiorem, et Rhenanam Provinciam. Ultima demum senecta rediit Ingolstadium ad onus gubernandi Collegii, quoad fractus, tantum non sub onere concidit.

Emeritus tandem, annos extremos Deo totos, et patientiæ consecravit, quam in tanta varietate atque acerbitate morborum podagræ, chiragræ, calculi, insigniter probavit. Quo in statu corporis, sæpius omnes præteritæ vitæ labes confessione delevit : et quamvis perpes pene chiragra digitorum usum eriperet, per eos tamen dies quibus confessionem chartæ, pro more, consignare decreverat, indulgentior fuit. Peracta ea confessione, ultimisque Sacramentis et postulatis, et impetratis, socios, postremum ut putabat, allocuturus, omnes imprimis orare veniam, vellent esse in se, quo ipse in universos animo esset. Eos, deinde ad liberaliter Deo serviendum hortatus, se ipsum abjiciendo, omnes ad spem æternæ salutis erexit, postea bene omnibus precatus gratias egit, quod præsto fuissent Sacra percipienti. Commendari se denique etiam atque etiam voluit R. P. Generali, et P. Provinciali, quibus inservisset, uti potuisset; grata haberent, quæ præstitisset. Significavit etiam cupere se eos qui deinceps adfuturi essent ægrotanti, sermonis esse modicos; decresse se reliquum, quod superesset, tempus cum Deo, patronis suis, aliisque cælitibus transigere. Sui ob vitæ errata doloris signa magna dedit. Inter alia

fuit illud, quod superiori prope assidenti dicere quam demississime solebat, adeo se malum fuisse, ut merito salutem desperare posset, nisi tam clementem se habere Dominum novisset. Quo etiam suum in omni vita parendi studium testatum fecit, cum in morbo ita difficili, et acerbo, nihil quidquam agere ne surgere quidem, aut confessionem generalem instituere vellet, absque superioris consensu. Quæ virtus præ aliis magnam illi sanctimoniæ opinionem merito conciliavit apud nostros, qua inducti pro se quisque suas illi peculiares difficultates, certo velut patrono commendarunt. Mensem fere integrum ita exegit, dum tandem die 17 Decembris anno salutis 1608, ætatis fere 85, religionis 54, Ingolstadii, inter vota complexumque sociorum vitam absolvit....

Post mortem peramæno vultu apparuit, et tamquam subridens, ut fere vocem ab eo exspectares. Aliquot ante annos cum Provinciam obiret, et Collegii fundamenta Lucernæ moliretur, repente morbo oppressus Augustam reportatus est, ibique post sacram unctionem jam conclamatus, sociorum votis ab ipso mortis limine, quod creditur, revocatus est. Nam P. Joannes Rastellus Anglus ad ædem Salvatoris octo passuum millia profectus, pro tam caro capite, suum ipse devovit, sedulo Deum precatus, votum uti hoc suum ratum haberet. Et habuit ratum Deus; simul enim ac domum devenit, decubuit, et occubuit; surrexit alter, pro quo fuit ille hostia piacularis.

Dignum memoratu est quod anno 1600 evenit. Extemporaneum seni sacellum excitatum erat, quo commodius ad sacra uteretur, Bethlemum suum appellabat. Ibi oranti dæmon saltabundus apparuit, jactans se quidpiam inexspectatum moliri. Perterritus Pater tristi denunciatione, Deum anxie pro avertenda a Collegio noxa precatur. Vix triduum abierat, cum veterem subruituri parietem e sociis aliquot, subsidente ponticulo, cui institerant, in subjectam

scrobem corruunt; luxatus vero jam quassatione murus, ruinam traxit, qua duos Sociorum oppressit, alios gravissime sauciavit.

In hoc suo Bethlemo quinquagenarius sacerdos, honoris publici et plausus fugiens, sacras primitias more majorum repetivit. Mane ante horam a media nocte tertiam surgebat e strato, et usque ad sextam ducebat meditationem, mox sacro facto succedebat sacra lectio, scriptioque. Verborum semper parcus fuit, et cautus. Tam contumaci, et severa victus abstinentia fuit, ut illa una infestam podagram ultra septuagesimum annum a se procul habuerit. Cibos delicatos etiam in morbo aversatus est; parabiles amavit, et aliis communes. Paupertatis religiosæ sic amans fuit, ut ad res levissimas posceret facultatem. Cultu et pietate in Beatissimam Virginem, omnibus ipsius pervigiliis jejunium religiosissime servavit; et quem senem non ullus facile unquam cantantem audiit, is ipse paucis ante mortem diebus carmen de B. Virgine, præter omnem morem concinuit. Sæpe demortuorum animæ ad cubiculi fores auxilium ab illo flagitarunt : et suaviter Ingolstadii nostris adolescentibus exprobravit aliquando, quod nonnunquam sibi liberalius aliquid sine majorum venia indulgerent; quæ post mortem ne flammis expiarent, ab se venirent suffragia postulatum...

R. P. Pauli HOFFÆI

SACERDOTIS S. J.

præpositi provincialis Superioris Germaniæ

INSTRUCTIONES PRO MAGISTRO EXERCITANTIUM

Cum omnium, qui exerceri cupiunt, non possit eadem esse vitæ ratio, conditio, valetudo, ingenii capacitas, neque idem omnium otium : idcirco opus erit ut magister singulis suam specialem occupationem prudenter attemperet non solum quoad res ipsas tractandas, sed et quoad rationem et ordinem temporis.

De personis et rebus in quibus pro sua quisque conditione exercendus videtur.

1ª *Conditio est rudium,* qui ad meditandum nihil fere apti sunt. His, Exercitiorum loco, satis erit proponere examen particulare et illud generale de quinque punctis, modum communicandi et missam audiendi et orandi, una cum sufficienti instructione catechistica, quoad præcipua et magis necessaria religionis christianæ capita, præsertim ad mores pertinentia. Item per dimidium horæ tantum quotidie in primo orandi modo, loco exercitii, se exercebunt.

2ª *Conditio illorum est, qui præcedentibus paulo, etsi non multo, capaciores sunt.* His omnia supra dicta, si in illis versati non sunt, etiam proponenda sunt, una cum exercitiis primæ hebdomadæ illorum captui accommodatis, ut duabus quotidie horis illis vacent.

3ª *Conditio illorum est qui, etsi litterati et ingeniosi sunt, publicis tamen vel etiam aliis negotiis ac curis impediuntur.* His itaque, una cum Exercitiorum fundamento, proponi possunt omnia primæ hebdomadæ exercitia, ac quotquot ipsi velint mysteria vitæ Christi, cum duplici examine conscientiæ, modis orandi, sæpius confitendi et communicandi, atque amorem spiritualem procurandi : hac tamen moderatione, ut non nisi quotidie horam (nisi amplius ipsi velint et possint) meditationi, et duos distinctos horæ quadrantes examinibus conscientiæ tribuant.

4ª *Conditio est hominum, qui ingenio quidem valent, sed tamen statum eligere nolunt.* His igitur, exceptis de electione documentis, universa exercitia cetera et quæque alia in Exercitiorum libello continentur, quousque et quot horis quotidie ipsi cupiunt, tractare poterunt.

5ª *Conditio est illorum, qui vitæ statum eligere volunt.* Quibus, præter primæ hebdomadæ exercitia et electionis documenta, tantum ex reliquis exercitiis proponendum est, quantum illorum conditio seu occupatio, vel etiam vires et voluntas, ferre possunt; quibuscum etiam de horis transigendum est quot velint.

6ª *Conditio est eorum, qui desiderant universa Exercitia quinque horis quotidie perfecte absolvere.* His igitur sequendus est ordo in Exercitiorum libello descriptus.

7ª *Conditio illorum est qui, etiamsi sint capaces, nihil tamen aliud fere in exercitiis consequi cupiunt, quam ut conscientiam suam per generalem confessionem perfecte expurgent.* Hujusmodi hominibus, postquam de horis conventum est, proponenda sunt examina conscientiæ, modi orandi et amorem spiritualem procurandi, una cum exercitiis primæ hebdomadæ et quæ ad illa communiter requiruntur.

8ª *Conditio est nostrorum fratrum studiosorum, sive novitii sint, sive non.* His eadem præscribi possunt quæ hominibus quartæ conditionis, sed secundum arbitrium ac dispositionem superiorum.

9ª *Conditio pertinet ad nostros coadjutores, sive novitii illi sint, sive non.* His ea fere competunt quæ hominibus secundæ conditionis.

Tamen si capaces meditationis essent, eadem quæ fratribus studiosis proponi possent, si præsertim ipsi hoc cupiant. Communiter autem fere expedit hujusmodi coadjutoribus fratribus quotidie, ante et post prandium, unius et dimidiæ horæ exercitium corporale cum silentio, et quidem ab aliis separatim, præscribere, maxime si legere nesciunt.

Omnibus primis septem conditionibus prudenti modo instandum est, ut reliquæ vitæ tempore statuant aut velint octavo quoque die confiteri, et decimo quinto, vel et octavo, si affectus impellat, communicare.

Duabus vero sequentibus omnibus conditionibus præscribendum videtur ut, saltem sub fine, exercitiorum tempore, generaliter confiteantur et saltem semel communicent. Item ut contemplationem de amore spirituali cum tribus orandi modis exerceant, et ut veluti epilogi loco, ad exercitiorum finem, unam saltem diem

integram quisque, secundum rationem sui status, tribuat rectius ordinandæ suæ vitæ, suisque quotidianis piis actionibus, vocali et mentali orationi, spiritualibus jaculationibus ceterisque devotionibus disponendis, sibique formandis certis quibusdam memorialibus quibus, suis temporibus, admoneatur alicujus divini cultus actum exercendi, vel aliquorum mysteriorum vitæ beneficiorumque Christi. Docet enim experientia plerosque sæpe multa bona ad profectum suum spiritualem facere posse, adeoque cupere, sed cum agendi ordine ac modo careant, cumque ipsis memorialia desint, quibus ad officia pietatis et devotionis excitentur, idcirco fit, ut aut nihil prorsus horum faciant, aut certe ordine confuso, qui nauseam ac negligentiam paulatim creare solet.

Cavendum tamen est, ut ne devotionum multitudine ac varietate seipsos nimium onerent, quin potius, magistri consilium sequentes, paucula initio sibi proponant, quibus alio tempore, si ita in Domino videbitur, alia adjiciant.

Consultum quoque esset, devotionum rationem et ordinem et modum aliquoties singulis annis, circa magnas festivitates, renovare, si opus est.

Expedit externis secularibus hominibus usque ad peractam confessionem generalem legere libellum de quatuor novissimis, tempore vero electionis libellum aliquem de contemptu mundi; et vero post electionem, aut, si non eligunt, post confessionem generalem, legant libellum de imitatione Christi.

Denique P. Ignatius non absque magna causa, post exercitia singula, pia quædam colloquia subjicienda præscripsit, quia hæc tardioribus ingeniis viam aperiunt ad orationem mentalem in qua plerumque languemus; ideo hæc colloquia nostris fratribus judicarem esse bene inculcanda et tradenda.

Distributio temporum quibus peragenda sunt Exercitia.

Etsi Spiritualia Exercitia in quatuor hebdomadas distributa sunt, ut in prima de peccatis, judicio et pœnis inferni agitur, in secunda de Domini nostri J. C. vita usque ad ingressum ejus solemnem in Jerusalem, die Palmarum, in tertia de Passione ejus, in quarta de ejusdem Resurrectione et Ascensione, non tamen sunt illæ hebdomadæ sic accipiendæ ut necesse sit unamquamque continere septem vel octo dies. Cum enim alios aliis contingat esse tardiores vel expeditiores ad consequendum id quod quærunt : verbi gratia, in prima hebdomada contritionem, dolorem ac lacrymas de peccatis, et animi terrorem ex judicii et pœnarum severitate, idcirco nonnumquam expedit hebdomadarum tempus minui vel etiam prorogari. Solet tamen exercitiorum tempus, si integre et perfecte fiant, plus minus triginta diebus concludi.

Ceterum quod attinet ad nostros fratres, qui inter media studia aliasve occupationes spiritum suum per exercitia renovare, et non integra omnia exercitia peragere cupiunt, his communiter arbitror satis esse, si decem aut duodecim diebus exercitiis vacent.

Nullum vero externum hominem ad electionem admittendum putarem, quin initio declaret saltem duodecim vel quindecim diebus se velle in exercitiis perseverare.

Varia quoque partitio horarum esse solet ; nempe ratione virium, ingeniorum, occupationum : alii tantum mediam horam qualibet vice, alii integram horam, et alii unam tantum, alii plures, usque ad quinque, se quotidie exercent.

Nostris autem occupatis fratribus non ultra quatuor horas, externis autem Germanis non ultra tres imponendas esse censerem, nisi ipsi sponte plura postularent, aut alioquin magna causa id suaderet. De his omnibus paulo post plura subjiciuntur.

NUNC QUÆDAM GENERALIA ADDAMUS

Pro superioribus erga exercitantes.

Priusquam externi ad exercitia admittantur, ex ipsis intelligendum videtur, an ratione nostri victus et quo potu contenti esse velint. Ac ne gravetur collegium, (si videbitur expedire) convenit, ut intelligant nullius lucri, sed tantum paupertatis nostræ causa, pro victu et potu quod honestum fuerit solvendum esse.

Discedentes, habito tamen delectu, ad nostram mensam invitari, honestoque deinde patrum colloquio recreari, ac in Domino dimitti possunt.

Cum tres aut plures fratres exercitati fuerint in communi, mensa prima vel secunda cibum capere possunt, atque tunc quidem communis lectio sicut et cetera quæ in triclinio fiunt, omnia ipsis prudenter accommodata esse debent.

Pro ministro qui servit exercitantibus externis.

Intelligat quibuscum exercitantes libentius conversentur, nullum tamen ad ipsorum colloquium vocet sine magistri consensu. Subinde procurabit preces ad Deum pro ipsis fundi per se aut alium. Eos de temporibus monebit, quibus aliquid vel inchoare vel finire debent. Magistrum monebit cum sibi ipsis nimium

austeri, vel etiam deambulatione in horto egere videantur. Curabit ut statis temporibus, certoque et constanti ordine, sua ipsis ministeria, ceteraque necessaria præstentur. Cavebit ne, si plures sint qui electionem facturi putentur, inter se unusquisque conveniat, ideo et diversa sacra audiat, in quibus non concurrant; attamen sua sacra simul audire possunt.

Pro ministro fratrum exercitantium.

Cavebit ne quisque nostrorum cum fratribus exercitantibus, ac ne ipsi quidem inter se, etiam tempore recreationis colloquantur. Quidquid autem scripto ab ipsis petent, hoc magistro quoque ostendendum erit. Quæ ministro externorum exercitantium scripta sunt de præscriptis temporibus, ministeriis, et austeritate cavenda, fratribus quoque præstari curabit. Cum multi fuerint, fratres simul ab eodem magistro exercentur : commune signum dabit ad initium et finem meditationis, ad sacrum, ad conferentias. Dabit quoque signum circa medium decimæ matutinæ et secundæ et quintæ pomeridianæ ad communem repetitionem, novæque materiæ præscriptionem; ac ne illorum recreatio ab aliis turbetur cavebit, quotidie aut saltem alternis diebus aliquot in hortum, causa relaxandi animum, mittet, præscripto tempore revertendi secundum arbitrium magistri.

Pro magistro exercitii.

Diligenter servare convenit decimam quintam annotationem R. P. N. Ignatii piæ memoriæ, quæ est hujusmodi : Tradens Exercitia non debet alterum impellere ad promissionem paupertatis magis quam ad aliud

institutum vitæ, quia licet hoc extra tempus Exercitiorum licitum sit ac meritorium, tamen intra Exercitia melius est id non attendere, sed Dei potius voluntatem quærere ac præstolari, donec ipse Creator ac Dominus noster animæ sibi devotæ sese communicet, eamque complexans, ad sui amorem, laudem ac servitium disponat, prout maxime scit esse commodum. Quapropter dictanti Exercitia standum est in quodam æquilibrio, sinendumque, ut citra medium Creator ipse cum creatura, et hæc vicissim cum illo rem transigat. Hactenus P. Ignatius.

Qui cum exercitantibus conversabuntur, perspectum habeant cujus modi exercitiorum genera eo tempore tractent, ut colloquia sua rite accommodare possint. Inconsulto magistro, nullus exercitantibus liber legendus exhibeatur, neque de rebus Societatis quicumque obtrudat; sed neque facile ad eorum dubia, præsertim quæ Societatem attingerent, respondeatur, verum persuadeantur in hujus modi consilia petere a solo magistro.

Ingeniosis et in meditando exercitatis fideliter narranda est meditationis historia, obiter duntaxat tactis breviterque declaratis præcipuis illius partibus, ut exercitans suo proprio marte meditando discurrat ac ratiocinetur : quo fiet ut si quid invenerit quod elucidationem vel aliquanto majorem historiæ sensum præbet (sive ex discursu proprio, sive ex divina mentis illustratione id contingat) gustum delectabiliorem uberioremque fructum percipiat, quam si res ipsa ab alio diffusius ei narrata ac declarata esset. Non enim abundantia scientiæ, sed sensus et gustus rerum interior desiderium animæ explere solet. Attamen qui tardioris sunt ingenii, ac meditationi nil fere assueti, solent fere tempus et horam in exercitiis perdere, nisi proposita materia paulo fusius, et quidem et varia pro numero repetitionum,

explicetur. Sic enim simul inflammantur et similibus discursibus sibi [propriis] assuefiunt facilius. Ideo sicuti ingeniosi propriis potius inventionibus quam alienis oblectari solent, sic tardioribus, minusve in hoc genere exercitatis, magistri manu duci, ejusque lumine illustrari, cordeque inflammari, quam in propriis tenebris excurrere, ac sine ordine et modo, longe sine fructu vagari, utilius ac fere gratius esse solet.

Tradens Exercitia, si advertat ei, qui recipit, nullas incidere spirituales animi commotiones (ut sunt consolationes et tristitiæ), neque diversorum spirituum coagitationes; sedulo debet percontari, an ipsa Exercitia præscriptis agat temporibus, et quibus modis; item an observaverit cunctas additiones, et de singulis ratio postuletur.

Qui alterum exercendum curat, si eum videat desolatione affici seu tentatione, cavere debet, ne se austerum ac durum ipsi exhibeat, sed mitem potius ac suavem præstet, confirmato ejus animo ad agendum strenue in posterum; detectis inimici nostri versutiis, eum ad consolationem studeat disponere, tamquam brevi subsecuturam.

Circa consolationes et desolationes sumentis Exercitia, et circa inimici nostri fallacias, poterunt usui esse regulæ de variis spiritibus internoscendis.

Quando exercendus est quispiam spiritualium rerum inexpertus, unde contingat eum in prima hebdomada crassis quibusdam apertisque tentationibus vexari, ostensis jam inde prosequendi obsequii divini certis impedimentis (verbi gratia : molestia, anxietas, pudor, timor, habita honoris mundani ratione), tunc illi, qui eum exerceri docet, supersedendum est usu regularum, quæ ad secundam hebdomadam pertinent, de discretione spirituum, et iis utendum solis, quæ in prima

dantur. Quia quantum alter ex his accepturus est commodi, tantumdem ex illis dispendii referret, ob subtilitatem rei et sublimitatem, quæ est supra ejus captum.

Qui exercetur, si tentationibus jactetur boni speciem præ se ferentibus, tunc muniendus est per regulas dictas secundæ hebdomadæ. Diabolus enim per boni speciem eos plerumque oppugnat, qui antea in via vitæ illuminativæ, respondente exercitiis secundæ hebdomadæ, fuerunt potius versati, quam in purgativa quæ per exercitia primæ hebdomadæ comprehenditur.

Exercenti se in prima hebdomada, expedit nescire, quid in secunda sit acturus; sed ad consequendum illud, quod tunc quærit, acriter laborare, perinde ac si nil boni postea esset reperturus.

Ut Deus in creatura sua certius operetur, si accidat animam ad aliquid minus rectum affici atque inclinari, totis viribus nitendum est in contrarium : v. g. si ad officium aut beneficium adipiscendum aspiret, non divinæ gloriæ aut communis animarum salutis causa, sed commoditatis suæ negotiorumque temporalium duntaxat; tunc affectus ad oppositum impelli debet per assiduas orationes, et alia exercitia pia, in quibus a Deo oppositum petatur : v. g. hunc ut ille animum Deo offerat, se tale officium aut beneficium, et quodvis aliud, jam non appetere, nisi priorem affectum adeo mutaverit, ut nil jam penitus desideret, aut possideat alia ex causa, quam divini cultus et honoris.

Perutile est [quod] qui tradit Exercitia, inquirere ac scire nolens alterius proprias cogitationes et peccata; superest, ut certior factus fideliter de cogitationibus a vario spiritu immissis, et ad majus, aut minus bonum trahentibus, spiritualia nonnulla exercitia illi præscribat, præsenti animæ necessitati opportuna.

Admoneatur exercitans de fine, modo et usu Exercitiorum.

Per Exercitia enim Spiritualia non intelligitur aliud quam modus examinandi propriam conscientiam, meditandi, contemplandi, [orandi] mente et voce, tractandique quasvis spirituales operationes. Sicut enim deambulare, iter facere et currere sunt exercitia corporalia; ita quoque præparare ac disponere animam ad extirpandas quasvis pravas affectiones, iisque sublatis, ad investigandam sectandamque Dei voluntatem circa vitæ institutionem animæque salutem, vocantur Exercitia Spiritualia.

Cum in exercitiis spiritualibus utamur actibus intellectus, cum discurrimus mente circa materiam propositam, voluntatis vero, cum afficimur, advertendum est quod in operatione voluntatis, cum voce et mente cum Deo aut cum Sanctis ejus colloquimur, major a nobis requiritur reverentia, quam cum per usum intellectus, circa rei intelligentiam tantum occupamur.

Exercitia facturus valde adjuvatur, si magno ac liberali animo ad illa accedens, totum studium arbitriumque suum Creatori suo offerat, ut is de se, suisque rebus omnibus id statuat, in quo ei potissimum juxta ejusdem beneplacitum servire possit.

Cum in quolibet exercitio certum et præscriptum temporis spatium impendi debeat, curandum est illi qui exercetur, ut animi sui quietem potius in hoc reperiat, quod plus temporis quam minus sibi insumpsisse conscius sit. Frequenter enim dæmon hoc conari solet, ut tempus orationi et meditationi præfixum minuatur.

Item cum facile ac leve sit, dum affluit consolatio, integram meditationis horam traducere, difficillimum vero, si incidat desolatio; ideo contra tentationem et desolationem semper pugnandum est, producto ultra prædictam horam exercitio, vincendi gratia. Sic enim non solum discimus resistere adversario, sed illum etiam expugnare.

Vacans Exercitiis, dum abundat consolatione magnoque fervore, cavere debet, ne se obstringat aliquo promisso vel voto inconsulte ac præcipitanter facto. Attente enim considerandum est quid commodi, aut incommodi possit occurrere, ad illud præstandum, quod promissurus sit.

Qui exercetur tanto majorem facit progressum spiritualis vitæ, quanto magis ab amicis, notisque omnibus, et ab omni rerum humanarum sollicitudine sese abduxerit : v. g. si ab ædibus pristinis migret in domum cellamve secretiorem, ex qua quidem loci secessione præcipue tres habentur [commoditates] :

1ª, quod seclusis amicis et familiaribus, negotiis-[que] minus recte ordinatis ad Dei cultum, gratiam apud Deum non mediocrem meretur ;

2ª, quod sic intellectu minus quam antea distracto in diversas partes, et collecta redactaque omni cogitatione ad rem unam, scilicet ad obsequendum Deo Creatori suo, salutique animæ suæ consulendum, multo liberius et expeditius utitur naturæ viribus in quærendo [eo], quod tantopere desiderat ;

3ª, quod quanto se magis reperit anima segregatam ac solitariam, tanto aptiorem seipsam reddit ad quærendum, attingendumque Creatorem ac Dominum suum, ad quem insuper quo propius accedit, eo melius ad suscipienda bonitatis divinæ dona disponitur.

Ordo diurnus illorum qui tribus horis quotidie exercentur.

Mane surgunt hora quarta. Cum excitati fuerint, proponent sibi de cavendo peculiari vitio, deinde cogitabunt qua de re, die proxima, meditandum : interim sua expedient.

A media quinta usque ad mediam sextam de re proposita meditabuntur.

Inter quadrantem ante sextam et quadrantem ante octavam, Sacrum audivisse oportet.

Cum moniti fuerint, aliam horam ante prandium meditationi tribuent.

Quadrante ante prandium conscientiam examinabunt.

Quidquid temporis, a meditatione matutina usque ad prandium, vacuum fuerit, hoc tribuendum est orationi, piæ lectioni, parandæ confessioni, aut scripto colligendis iis quæ inter meditandum placuerunt.

Finito prandio, recreationi, ad minimum per horæ spatium, vacare licet.

A medio horæ tertiæ usque ad medium quartæ meditandum est.

A cœna vacabunt recreationi usque ad horam octavam.

Ad medium nonæ, per quadrantem horæ, examinabunt suam conscientiam, prius litaniis recitatis.

Qui horis quatuor meditantur, illis duæ horæ post prandium assignentur; nempe ad tres dictas, a medio quintæ usque ad medium sextæ.

Horæ prædictæ mutari possunt : v. g. ut sumatur hora a medio quintæ usque ad medium sextæ, et hora nona usque ad decimam, aut medium decimæ; item a

tertia usque ad quartam, aut medium quartæ, a sexta usque ad septimam, aut medium septimæ.

Ordo totius diei pro fratribus nostris exercitantibus.

Silentium erit perpetuum et strictum.

Si quid a ministro suo petere, aut eidem indicare velint, scripto hoc faciant.

Cibum suum in cubiculo singuli capient; ac temporibus consuetis, sed locis a communi recreatione separatis, ac singuli soli, et quidem cum silentio, sedendo aut ambulando extra sua cubicula, se recreabunt; aut etiam in cubiculo, si expediat.

Reliquus diei ordo cum externorum exercitantium ordine communis ipsis erit, sive tribus, sive quatuor, sive quinque horis ipsis meditandum sit.

Quod si tres, quatuorve aut plures sub eodem magistro exercentur, qui ob alias occupationes singulis seorsim vacare non possit, tamen hi tribus aut quatuor, et non amplius, horis exercendi erunt, præter quas unam tribuent conferentiis, si expedire videbitur, et quidem illam a media quinta pomeridiana usque ad medium sextæ. Porro propositam, et ut cuique explicatam materiam, omnibus magister repetet, si expedierit, confirmandæ omnium memoriæ causa, cum illa singulis in scripto non facile communicari queat, etsi in communi loco unicum saltem exemplar affigi debeat.

Reliquum diei ordinem cum aliis supra dictis ipsi quoque communem habeant.

Patribus tamen jam provectis, et per se idoneis, ac exercitatis, relinqui [debent] in scriptis meditanda, ut ipsi per se legant, non egentes ullo magistro aut ductore.

Distributio Exercitiorum in dimidias horas, cum totius diei ordine.

Pro hominibus primæ conditionis.

A medio quintæ usque ad quintam in primo modo orandi se exercebunt, quemadmodum pridie sub noctem ipsis præscriptum fuerit.

Post horam quintam, facta coram magistro præcedentis orationis repetitione, explicantur mysteria missæ ac cæremoniarum ejus. Dein audient, si fieri potest, tria sacra, sed non continua; atque sub illis applicabunt mysteriorum explicationem antea factam.

Temporibus inter hæc sacra incidentibus, component ac verrent suum cubiculum. Quodque reliquum est temporis, tribuent orationi ac piæ lectioni, vel scriptioni.

Sacris absolutis, denuo, si opus sit, aliquid in primo modo orandi, quantum pro duabus vicibus satis esse potest, declarabitur. Mox inde in re explicata, per aliam mediam horam, sese exercebunt.

Postea vel legent, vel scribent, vel laborabunt, vel ambulabunt usque ad tempus examinis.

Tempore primæ mensæ ipsi quoque prandebunt.

Recreatio ipsorum usque ad horam primam durabit.

Deinde ad secundam usque legent, vel orabunt, vel scribent, vel laborabunt aliquid.

Ab hora secunda usque ad medium tertiæ, suo modo orandi denuo se exercebunt.

Postea, si magistro videbitur, ad vesperas se conferent in aliquod vicinum templum, ita tamen ut foris cum nemine loquantur.

Ante horam quartam explicabuntur illis mysteria rosarii, ac circa eadem se exercebunt, a quarta usque ad medium quintæ.

Inde usque ad sextam legent, scribent, aut laborabunt. Denique quadrantem ante cœnam orationi impendent.

Cœnabunt sub prima mensa, ac dein usque ad octavam se recreabunt.

Mox de primo modo orandi aliquid ipsis explicabitur, de quo postridie mane sit ipsis meditandum.

Denique recitatis litaniis, et a medio nonæ per quadrantem examinata conscientia, mox lecto se committent.

Absoluto semel modo primo orandi, idem repeti potest, et explicatis, quantum satis est, iis quæ pertinent ad eumdem modum orandi, missam audiendi, rosarium recitandi, progrediendum est ad cetera catechistica documenta. Totum vero hujus exercitii tempus magistri discretione, et exercitati possibilitate, metiendum est; quod etiam aliis hominibus dictum sit. Item ex additionibus ea quoque præscribentur, quæ magister ipsis convenire judicaverit.

Distributio Exercitiorum primæ hebdomadæ in duas horas, una cum ordine totius diei.

Pro hominibus secundæ conditionis.

Mane a medio quintæ usque ad medium sextæ, omisso Exercitiorum fundamento, ordine de ceteris exercitiis primæ hebdomadæ meditabuntur.

Duo audient sacra, sed non continua.

Intermediis vero spatiis, idem facient quod primi.

Sacris finitis et priori meditatione repetita, lectionem magister faciet de iis rebus, ordine quo primæ conditionis hominibus præscriptæ sunt, si necdum satis in illis versati sunt, incipiendo a mysteriis missæ,

rosarii. Reliquum tempus usque ad examen tribuent lectioni, orationi, parando confessionem generalem, vel labori aut deambulationi.

Se examinabunt et prandebunt iisdem temporibus sicuti primi.

Recreatio extenditur usque ad medium primæ.

Inde usque ad medium secundæ idem facient, quod a lectione matutina usque ad examen.

Hora secunda, priori meditatione coram magistro repetita, nova vel eadem meditatio præscribitur.

Postea ad vespertinas preces se in vicinum templum conferent, si hoc probet magister.

Ab hora tertia usque ad quartam meditabuntur.

A medio quintæ fiet lectio de rebus antedictis.

A quinta usque ad medium sextæ rosarium recitabunt, adhibita consideratione mysteriorum. Inde laborabunt aliquid ad ultimum quadrantem ante cœnam, quo vacabunt orationi.

Cœnabunt tempore primæ mensæ; deinde usque ad octavam se recreabunt. Tunc repetita coram magistro meditatione, novum exercitium ipsis præscribitur.

Recitatis litaniis et examinata conscientia, cubitum ibunt.

Additiones aliæ judicio magistri ipsis accommodari poterunt.

Distributio Exercitiorum pro unica hora tantum.

Quadrat homnibus publicis negotiis occupatis, qui, cum mane surgunt, idem tunc quod ceteri faciunt.

Aliqua autem [hora] ante meridiem, quæ ipsis certa et commoda sit, meditabuntur, et quadrantem bis quotidiè examini conscientiæ donabunt.

Reliquis totius diei temporibus ab occupationibus vacuis, sacrum unum vel alterum cum vesperis audient, orabunt, confessionem parabunt, legent, et scribent suas devotiones. Cetera etiam a magistro discent, quæ ad orandi, riteque ac sæpius confitendi, atque communicandi, suamque vitam rectius ordinandi modos pertinent.

Dabunt etiam operam ut, quantum per occupationes licet, domi certo in loco sese contineant, easque observationes sive additiones servent, quas magister judicabit ab ipsis servari posse. Cumque domi suæ fere totum exercitii tempus transacturi sint, vix alius ipsis ordo præscribi poterit.

Distributio Exercitiorum in quatuor vel quinque horas.

In tota serie Exercitiorum, sicut in singulos dies et horas mox sequenti ordine trium horarum distributa, nihil immutandum est, quam quæ in plures horas partienda sunt, ita tamen ut fundamento Exercitiorum unus integer dies tribuatur.

Verum cum nostri fratres non multum utilitatis communiter ex illis exercitiis, quæ de peccatis et inferno agunt, sumant, idcirco, omissis illorum repetitionibus, minus temporis illis tribuere possent, si ad alia transire, et in illis non diu inhærere cupiant.

Distributio Exercitiorum in tres quotidie horas.

1ª Dies.

Pridie hujus diei, sub noctem, proponendæ sunt admonitiones de modo et fine Exercitiorum, una cum

Exercitiorum fundamento, pro prima hora matutina diei sequentis meditationi a magistro deputata.

Hora secunda meditationis ante meridiem, de eodem fundamento meditandum est, præcedente tamen, convenienti tempore, meditationis matutinæ coram magistro repetitione, priusquam nova præscribatur materia. Communiter præcedentis exercitii peracti reddenda est ratio ipsi magistro, qui pro hac hora secunda, novo quodam modo, idem fundamentum declarabit, simulque formulam particularis examinis præscribet. Et notandum est : quoties is, qui exercetur, præcedens exercitium denuo sequenti hora meditari jubetur, toties expedit idem exercitium ipsi aliter atque aliter a magistro explicari.

Tertia hora meditationis (quinta tandem illa post meridiem a magistro assignabitur) de fundamento denuo meditandum est, reddita prius suo tempore secundæ meditationis ratione, ac nova pro hac hora ejusdem fundamenti explicatione facta, cum præscriptione formulæ examinis generalis.

2ª Dies.

Pro prima hora, reddita ratione ultimæ meditationis hesternæ, proponendum est primum exercitium de peccatis alienis, una cum additionibus.

Pro secunda hora, exercitium proponendum de peccatis propriis, una cum illo scripto de utilitate confessionis generalis et communionis.

Pro hora tertia, proponi debet exercitium tertium, quod aliud non est quam repetitio duorum exercitiorum præcedentium. Item examen generale, quo utendum est ad parandam confessionem.

3ª Dies.

Pro prima hora, exercitium de morte, nisi magister judicet tertii exercitii meditationem denuo vel sæpius esse repetendam, vel de discernendis animi motibus.

Pro secunda hora, exercitium de judicio particulari, nisi, secundum libellum Exercitiorum, transeundum videatur ad meditationem de inferno, aut nisi magis libeat denuo de morte meditari.

Pro tertia hora, de judicio generali, nisi quis malit repetere meditationem utramque simul de morte et judicio particulari.

4ª Dies.

Pro prima hora, de inferno, aut certe repetitio meditationis de judicio generali.

Pro secunda hora, de purgatorio, aut repetitio de inferno.

Pro tertia hora, repetitio de purgatorio, aut tunc inchoatur seria præparatio ad confessionem generalem.

Toto hoc die, vacandum est serio confessioni generali parandæ, ac nonnihil requiescendum a labore meditandi.

Cum autem, præcedentibus diebus, ut supra notatum est, necessitas postulare videbitur, proponendæ erunt instructiones de discernendis animæ motibus, quæ primæ hebdomadæ exercitiis maxime quadrare solent, quanquam etiam, nulla expectata necessitate, cum diei tertiæ horæ primæ exercitio proponi possint.

Antemeridiano postridie tempore, generaliter est confitendum, et unicuique externo liberum erit quem malit confessarium eligere.

5ª Dies.

Mane confitendum est, ut jam est dictum.

Pro secunda hora pomeridiana, contemplatio de regno Christi et regis æterni.

Pro hora tertia, ejusdem contemplationis repetitio, nisi confessio generalis tantum temporis sibi vindicet, ut semel tantum hæc contemplatio pomeridianis horis exerceri queat.

6ª Dies.

Pridie sub noctem, pro prima diei sequentis hora, proponenda est meditatio de incarnatione Domini, una cum generali ordine ac dispositione exercitiorum de vita Christi. Simul tunc etiam proponentur novæ observationes, seu additiones, nonnihil immutatæ.

Pro hora secunda, nulla videtur jam esse præscribenda meditatio, sed vacandum sacræ communioni. Solummodo proponendum est de colligendo fructu ex meditatione mysteriorum Christi.

Pro tertia hora, præscribenda est formula applicandi quinque sensus ad historiam præcedentis meditationis seu mysterii.

7ª Dies.

Pro prima hora, de nativitate Christi.

Pro secunda, applicatio sensuum ad nativitatis Christi historiam, nisi magis placeat exercitanti, omissa applicatione simplici, tantum quadam mysterii repetitione uti.

Pro tertia, de tribus regibus.

8ª Dies.

Pro prima hora, applicatio sensuum seu simplex repetitio de tribus regibus, nisi exercitans de novo mysterio meditari malit.

Pro secunda, de fuga in Ægyptum, vel de reditu, vel de præsentatione Domini in templo, vel quid egerit Jesus Christus usque ad trigesimum vitæ suæ annum.

Pro tertia, videtur esse proponenda meditatio de puero Jesu duodecim annorum, si tamen spes sit fore, ut qui exercetur vitæ suæ statum velit eligere; quia si id facere nolit, quodvis aliud, vel etiam hoc ipsum exercitium, tractare potest.

Quandocumque autem magistro visum fuerit, præscribenda sunt documenta de cognoscendis bonis malisque spiritibus, quæ in hac secunda hebdomada quadrare solent, nisi magister malit cum diei octavæ secunda applicatione, seu repetitione, illa proponere.

9ª Dies.

Pro prima hora, exercitium de duobus vexillis, cum sua præfatione de consideratione statuum diversorum, qua exercitantis animus ad electionem paulatim præparetur.

Pro secunda et tertia, ejusdem exercitii de vexillis repetitio.

10ª Dies.

Pro prima hora, de tribus hominum classibus differentibus.

Pro secunda, omissis nonnihil iis quæ ad electionem pertinent, de transitu Domini ad Jordanem ejusque baptismo.

Pro tertia, applicatio sensuum ad historiam baptismi, seu simplex repetitio ejus, cum tribus illis ad finem colloquiis, quæ habentur in exercitio de duobus vexillis.

11ª Dies.

Pro prima hora, de tentatione in deserto.

Pro secunda, de vocatione apostolorum.

Pro tertia, de octo beatitudinibus.

Horum vero trium exercitiorum colloquia erunt tria supradicta de vexillis, quibus etiam concludentur alia exercitia de mysteriis vitæ Christi, si tamen plura mysteria, pluribusque diebus, ante electionem tractare libeat, vel expedire videatur. Quotquot mysteria circa electionis tempus dabuntur, pie accommodentur futuræ electioni, prudenter tamen, ne affectatio rem odiosam ac suspectam reddat.

12ª Dies.

Pro prima hora, tres modi humilitatis.

Pro secunda et tertia, eorumdem modorum repetitiones, una cum instructione, seu præludio, ad electionem bonam faciendam, cum introductione ad cognoscendas res eligendas, cui, si exercitanti profuturum videtur, addi possunt duæ illæ tabellæ de variis mundi statibus et officiis, eorumque perfectionibus diversis.

13ª Dies.

Pro prima et secunda et tertia hora, proponendus est modus pro bona electione facienda, una cum quinque salutaribus consiliis, quæ ad quintum punctum

ejusdem modi adhibita sunt, ut ratiocinatio rectius fiat. Simul etiam proponendum est scriptum de tertio electionis tempore.

In horum omnium consideratione et usque ad expeditam electionem, totus hic dies, et etiam amplius, si exercitans voluerit, transigendus est.

Nonnunquam vero a magistro visitandus est, ut, si tentatio aliqua incidens sic postulet, particularibus quibusdam exercitiis excogitatis, et præsenti tentationi convenientibus, juvari ac dirigi rectius possit : quod etiam in universo Exercitiorum tempore, secundum occurrentium tentationum exigentiam, fieri expedit. Ceterum qui statum eligere nollet, et prima vitæ Christi exercitia, sicuti ordine superius a die septima sunt posita, omittere, ac de Domini passione aliisque Christi mysteriis meditari mallet, huic videtur indulgendum esse, servata tamen eadem dispositione, perductoque horum exercitiorum tempore, quousque per exercitantem licebit.

De P. Joanne Baptista CECCOTTO

(SOTWEL, *Bibliotheca,* p. 409.)

Joannes Baptista Ceccottus, natione Italus, patria Pisannes, natus anno reparatæ salutis 1554, Deo se in Societate dicavit 1572, die 5 maii. Vir ut ad suum in spiritu profectum, sic ad aliorum exemplum a Deo datus. Mira fuit in eo humanarum rerum despicientia, mira cœlestium veneratio. Sacratissimum Jesu nomen manantibus fere præ affectu lacrymis cum summa suavitate proferebat, in cujus contemplanda vita totum suum studium collocaverat... Pietati erga Jesum adjungebatur et pietas erga obsequentissimum Jesu famulum, Parentem nostrum Ignatium, cujus quanti sanctiones faceret, significant assiduitas qua librum Exercitiorum, Constitutionum, et Regularum Summarium evolvebat, ac industria insuper qua bene beateque vivendi præcepta ex iisdem eruebat. Annos quadraginta et amplius unico in die pastu contentus fuit. Annos totidem in Collegio Romano Præfectus nostris ad internum animi cultum datus, ita se gessit, ut fecundam deinde segetem in varias orbis Provincias a se dimiserit... Mortuis est plenus dierum et bonorum operum cum incredibili tranquillitate Romæ die 20 decembris anno 1639, ætatis 86, Societatis 68, a suscepto gradu spiritualis Coadjutoris 52. Edidit :

Apparatum ad meditationes vitæ Domini nostri Jesu Christi, et de eadem meditationes ;

Item

Meditationes de votorum renovatione. Romæ apud Franciscum Corbellettum 1631, in-8.

DIRECTORIS

Officium et Munia explicantur.

Ea omnia, quæ ad illius, quam nunc docemus exercitationis naturam, vimque aperiendam pertinent, directoris ac exercitantis fere officio ac munere continentur; quare nunc de Directore, sequentibus vero capitibus de exercitandis dicemus. Sed principio, — ne cui hæc tractatio, quasi nova et ab instituto nostro, moreque abhorrens, mentem fodiat atque exulceret, — advertendum est exigui temporis atque adeo unius diei exercitationem, si longiorem moram homines impliciti non possint, — non modo non esse a mente Beati Patris Ignatii alienam, verum ei videri maxime consentientem, atque ex illo exercitationum ipsius libello, velut ex suo fonte profluentem atque divino invento eductam. Si quis enim ad Annotationes 18^{am} et 19^{am}, itemque ad tres orandi modos ab eo præscriptos, exercitiorumque ipsorum rationes et fines diligenter attendat, fatebitur profecto Beatum Patrem non omnibus integra illa exercitia tradi, sed, per partes nonnumquam præscribi, atque, quod caput est, ad uniuscujusque captum, geniumque accommodari voluisse; idque est sane rationi quam maxime consentaneum, quandoquidem quemadmodum Beati Patris Ignatii conversio divinitus acciderat non ipsius bono dumtaxat aut Socio-

rum quibus parens constituebatur, sed ad publicam Ecclesiæ totius singularumque ejus partium utilitatem; ita profecto oportebat ejusdem Beati Patris exercitia, quæ connexio quædam essent divinarum inspirationum, certissimarumque veritatum evidens consecutio, quibus in omni statu stabiliendæ vitæ fundamenta et principia continentur, ea, inquam, exercitia oportebat non religiosis aut peritis hominibus a negotiorum humanorum cura vacuis concedi, sed cujusvis ordinis, generis, sexus aut prope ætatis hominibus quantumcumque occupatissimis ut ut res paterentur accommodari. Et sane frustra, et sane ridicule fecisset Paulus III, Pontifex opt. et max., cum omnes et singulos utriusque sexus fideles utlibet constitutos, ut tam piis documentis et exercitiis uti, et illis instrui velint, plurimum in Domino edita Bulla hortatus est, nisi ea pro personarum conditionibus, negotiis, studiis, occupationibus rescindi, decurtari, aptari posse censuisset; atque hanc etiam intra exigui temporis angustias exercitiorum nonnumquam tradendorum consuetudinem, vel ab ipso parente Ignatio ante natam Societatem, vel a primis ejus alumnis nascentis Societatis exordio usurpatam par est credere, cum aliter fieri nequiverit, ut, quod in nostris historiis legimus, non modo familiæ, sed urbes, ac prope provinciæ a nostræ Societatis hominibus simul exercerentur. Ex quibus omnibus id, quod intendo, imprimis conficitur Directorem in Beati Patris exercitiis excultum, versatumque esse debere, cum ea omnia, quæ hic tradimus constet ex illis ut sacris fontibus scaturire, promanareque cœpisse; ad hæc vero, qui alios dirigere se posse profitetur, amplam maximarum virtutum supellectilem secum habeat necesse est, locupletem rerum necessariarum apparatum, modos sese insinuandi ad homines demerendos, persuadendo, indu-

cendoque ut exercitia velint, artem et methodum exercendi, tum maxime zelum animarum, prudentiam, animique demissionem; his enim tanquam partibus Directoris officium, dignitasque continetur. Porro, apparatus ille, quem requirimus, consistit in copia instructionum, meditationum, precationum, interrogatoriorum pro Examine generali, similiumque rerum, quæ omnia ex probis authoribus collecta atque in separatis chartis descripta, magno numero apud se Director habeat, simulque Exercitiorum Libellum directorium, aliasque præscriptiones, quas infra trademus; præterea teneat memoriter Sanctorum exempla varia, multasque Sacrarum Litterarum sententias idoneas ad persuadendum, rationes, quibus a vitiis deterrere, ad virtutem stimulare exercitantem possit; quare studeat is, qui in tradendis his Exercitiis excellere cupit, ut harum sibi rerum sylvam gnaviter sibi comparet, Origenis exemplo, qui, et teste, et laudatore S^to^ Gregorio Nazianzeno, didicit et docuit scientias humaniores, ut ea esca Gentiles ad audiendum, Christique fidem amplectendam allicerentur; quam etiam ob causam B. Ignatius sancivit, ut a nostris hominibus in publicis scholis omnigenarum artium disciplinæ traderentur. Providendum autem hic est, ut meditationes aptæ ad quemcumque motum excitandum habeantur, stilo candido et simplici, verbis claris et sine fuco; id enim plurimum interesse jam sæpe ipso usu compertum est. — Quod ad modos sese insinuandi, alios demerendi, alios inducendi attinet, imprimis curandum Directori ut optime habeat descriptam in animo universam, in qua degit civitatem, idque in omni conversatione, seu alios invisat, seu ipse invisatur, ab iis potissimum, quos sibi eam in rem selegerit, prudenter inquirat qui sit publice status civitatis, qui mores civium, quæ odia, quæ perturbantur

familiæ, et quæ hujus sunt generis; item, qui maxime sint apud reliquos in ore atque opinione ob virtutis præstantiam aut exspectationem; nam, fere ad Exercitia adduci debent ii, qui in Republica sunt vitæ vel deploratissimæ, vel probatissimæ, quod isti, ne pereant, maxime egent, hi vero plurimum prosunt, quod jam apud multos probati sint. Accedit, quod utrique non tantum exemplo juvare possint, sed etiam ductu atque hortatu; postquam enim sibi quoque dictum illud persuaserint « *et tu conversus confirma fratres tuos* », ipsi alios ad Exercitia facile adducent, vel tradent, atque docebunt ipsi privatim exemplo B. Pauli, qui ad pœnitentiam hortabatur non tantum publice, sed etiam per domos, quemadmodum Christus ipse Zachæum publicanum convertit privatim. — Ubi cogniti fuerint ii, qui fructum facturi credi possint, tum insinuationes atque occasiones erunt requirendæ, eæ autem his fere officiis continentur, si adeat amice atque urbane salutet, colloquatur, gratuletur, soletur consiliis, monitionibus juvet, instruat, adversariis reconciliet, si nonnumquam etiam donet munuscula, quæ ad pietatem vel necessitatem pertineant, et quæ grata aut opportuna alteri fore existimantur, et, ut verbo dicam, ad hunc locum conferat omnem operam, studiumque commodare, quantum ratio ac fas, modestiaque religiosa sinat; denique, quia nonnumquam gaudent homines si alios sibi devinciant, proderit interdum mutua officia benevolentiæ ab aliis recipere aut etiam interdum exigere. Ita legimus B. Xaverium mancipium cupivisse fieri pro occasione captanda deferendi lucem Evangelii ad Sinas; idipsumque S^tus^ Dominicus pro Albigensibus; itemque S^tus^ Franciscus pro infidelibus convertendis; aliosque plures pro simili causa factitasse, tum Josaphat, tum aliorum historiæ commemorant. Jam vero, facta insi-

nuatione, animisque devinctis, viæ muniendæ erunt ad introductionem, transeundo ingeniose a tractatione et collocutione rerum, negotiorumque hujus mundi ad res cælestes atque æternas vitæ alterius, quemadmodum nos Christus cum Samaritana agens instruxit; neque cuipiam id difficile videri debet, cum enim quodlibet fere cum quolibet vel affinitate, vel oppositione sive explicata, sive implicata connixum sit atque cohærens, facile ex uno ad aliud quodvis apposito cum industria transiri potest, ut a caducis ad æterna, a terra ad cælum, a vitæ periculis ad mortem, etc.; atque ab aliis denique ad rem ipsam deveniendum est, et ostendendum, quod initio tractavimus, ob rerum divinarum, humanarumque ignorationem plurimos perire. Res vero illas in tumultu expendi non posse, captandum esse otium, saltem ad breve tempus, atque hic demum, ad persuadendum ut id facere velit, sunt congerendæ rationes et fructus, qui ex ea re colligi possunt, itemque exempla eorum, qui ita profecerint, maxime, si recentem adhuc memoriam habeant in ipsa civitate, denique explicet confessionis generalis commoda, quæ sunt supplere errores in confessionibus particularibus commissos, omnem scrupulum eximere, augere divinum animi lumen, acquirere contritionem et odium peccati, gratiam, puritatem cordis, etc.; concludendum vero erit in hujusmodi, periculosam esse dilationem, occasionem esse calvam, et Spiritum Sanctum, quod Gregorius ait, negare tarda molimina, velle exacte et ad ungnem sibi obsecundari, et quidem, eo modo, loco ac tempore, quo instigat. Quod si his rationibus atque stimulis ille, quocum agere consenserit, diem secessionis fixum, ratumque accipiat, moneaturque ut Directorem aliquot diebus ante secessionem aliquoties certa hora conveniat, examen generale ab eo tum acceptu-

rus, deinde orandi modum percepturus ad præviam aliquam et quasi velitatoriam exercitationem domi tentandam, cujus successum referat quotidie ad Directorem, ut orare discat juxta methodum, quam infra adferemus, et ut instruatur contra tentationes, otiositatem, tepiditatem, illusiones diaboli et similia vitia, quæ orantibus solent obrepere, admoneatur item ut quotidie conscribendis totius vitæ peccatis, legendoque pio libro, ut ejus, quem *Ducem peccatorum* vocant, aut alterius similis tempus aliquod insumat, iisque jam in memoriam atque chartam revocatis, tum demum ad secessionem veniat a curis omnibus liber ac vacuus, intendens atque ardenter desiderans uni Deo placere, neque tantum se in suo statu perficere, sed ipsam quoque perfectionem, si fieri potest, consequi, ne quem Divinæ Voluntatis obicem aut terminum constituat. Cubiculum interdum paretur ad solitudinem et pœnitentiam accommodatum, in quo sit disciplina, cilicium, panis et aqua, itemque lecti duo, alter sine lodicibus ac stragulis, alter religiose stratus, ut in pœnitentis potestate sit uti eo pœnitendi genere, quo voluerit, ex prudentiæ regulis et Directoris consensu.

SEQUUNTUR

nunc Directoris in ipsa

EXERCITATIONE PRÆCIPUÆ PARTES ATQUE

INDUSTRIÆ.

Cum Exercitantem in cubiculum ad solitudinem et pœnitentiam accommodatum humaniter deduxerit, facta Deo brevi supplicatione, bene ei apprecetur, moneatque :

1° Ut omnes alias curas omnino domi suæ unde excessit, relinquat, ut præsenti negotio, quod maximi momenti est, serio se totum applicet.

2° Ei Additiones B. Patris, si earum capax sit, tradantur, et eædem breviter explicentur, ostendaturque earum usus atque utilitas; in his enim tantum operæ positum est, ut B. P. voluerit examen particulare toto tempore Exercitiorum circa ipsas fieri, idque ipse observarit toto vitæ suæ tempore.

3° Tradatur ei apta totius temporis, rerumque ex ordine agendarum distributio, doceaturque magni referre, neque pervertat; nam Spiritus boni æque ac mali ea, quæ præscribunt, volunt exacte servari, nec sane decet nos minus sollicitos ac religiosos in iis, quæ ad divinum obsequium pertinent, quum sunt diligentes ac

superstitiosi in officio persolvendo ii, qui a Regibus et Principibus hujus sæculi aliquod præmium præstolantur; neque vero quidquam, quod ad directionem in hac re pro regula traditur, parvi pendendum est, cum regulæ ea minime censenda sunt, quæ ad rem magni momenti obtinendam non mediocriter conferant; denique dentur ei in charta regulæ generales vitæ in posterum recte instituendæ juxta exercitantis conditionem ac statum, ut secundum illas componat seriem actionum suarum eo modo, quo postea explicabimus; præscribantur etiam regulæ contra vitiosam verecundiam et respectus humanos, contra acediam, contra fallacias mundi, contra sophistica axiomata et fraudes, et illusiones dæmonis ex Regulis discretionis spirituum. Cum autem finis Directoris in hoc negotio sit salus et profectus animarum ad imaginem Dei creatarum, et ejus sanguine redemptarum, satis patet nullos esse admittendos respectus humanos, sed ad tantam rem adferendam requiri imprimis maximi animi constantiam ac fortitudinem contra contradictiones a diabolo vel forte ab hominibus, etiam alioquin probis, suscitandas; item, singularem diligentiam atque assiduitatem, tum vero eximiam ac prope divinam charitatem, benignitatem, mansuetudinem, libenter se impendendo alienæ salutis causa, et patienter ferendo exercitantis errores, defectus, aut quodcumque aliud, quod de se minus arridet; denique nihil obscurum esse potest præter sinceram intentionem præcipue requiri, et in omnibus debere adhiberi non vulgarem cum summa animi demissione prudentiam, ut, sicut Medicus temporalis commoda medicamenta, et orator omnem dicendi formam, atque stylum quoad tempus, modum et reliqua componit et adornat, juxta ægri aut auditoris naturam atque indo-

lem, ita, ipse Director materias meditationum, consiliaque sua accommodet juxta ductum ac motum, quo Spiritus exercitantem movet; itaque, de illis omnibus virtutibus, ne omnia taceam ad zelum animarum accendendum, frequenter meditetur Passionem Christi, eorumque sibi exempla proponat, qui Christum propius sunt insecuti, habeatque selectas aliquas sententias e Sacris Litteris, quæ ad id valeant, qualis esse potest illa D. Jacobi : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus a morte et operiet multitudinem peccatorum.* Quia vero humanæ industriæ ac virtutes parum certe in hoc genere valent, nisi Spiritus Sanctus operam suam adjunxerit, curet Director vel maxime, ne nimium suæ prudentiæ ac viribus innitatur, sed in rebus potissimum difficilioribus ad alios se peritiores consilii petendi causa accedat, tum vero ad Deum frequenter in dubiis rebus recurrat; ex ea enim submissione aptissimum se Spiritus Sancti instrumentum constituet, sentietque sibi ad alterius directionem lumen divinitus infundi, quod, vel ad proprium usum non acciperet, neque ex naturali ingenio aut eruditione consequi posset. Est ergo lumen naturale uti candelæ non modo exile ac tenue, sed etiam sterile ac infæcundum; lumen vero Spiritus Sancti, quemadmodum et solis, res omnes animat, vegetatque et ad operandum potentes et fecundas efficit; quam ob rem philosophi antiqui, licet multa præclare nossent, atque de iis dissererent copiose, ipsi tamen quæ docebant aut non exequebantur, aut solam virtutis umbram insequebantur, nimirum, fecundans illud, atque vegetans Spiritus Sancti lumen absconditum est sapientibus et revelatur humilibus.

EXERCITANTIS

partes generatim declarantur.

Finis Exercitationis hujus, quantum attinet ad Exercitantem, ipsum est ut peccata vitæ prioris rite expientur, ut scrupuli, passionum effrenati impetus, eaque omnia, quæ pericula creare possent, removeantur, ut virtutum omnium ornamenta comparentur, denique, ut animæ saluti, quantum fieri potest, consulatur. Ad hujus autem tam præstantis finis consecutionem, præter dispositiones illas, quas a Directore ante diem secessionis admonendas esse docuimus, hæc etiam ab Exercitante desiderantur :

1° Exacta obedientia et singularis animi demissio. — 2° Solitudo; — 3° Mortificatio atque corporis castigatio; — 4° Confessio peccatorum totius vitæ; — 5° Oratio mentalis; — 6° Occupatio principalis seu practica vitæ in posterum agendæ reformatio. Itaque, sit imprimis ita animo constitutus, ut ægri prudentes esse solent, aut quemadmodum ipse se haberet erga medicum si ex morbo de vita periclitaretur, similiterque statuat obedire ac se submittere Directori suo in rebus ad perfectam animi sanitatem pertinentibus, et meminerit hoc propositum sæpe Deo offerre per orationes jaculatorias, maxime ante peccatorum confessionem.

Motiva ad hæc præstanda varia adferri possunt :

1^um^ est, advertere ea, quæ hic proponuntur esse instar medicamentorum, quæ ad cujusque naturam et vires apposite accommodari debent; id autem, cum ab ipso Exercitante, quantumvis perito, fieri nec possit, nec debeat, alteri se subjicere atque obtemperare velit est necesse; hinc ipsos medicos videmus, cum periculose ægrotant, aliis se committere. — 2^um^ est considerare Deum velle omnino ut efficiamur sicut parvuli, si modo ab eo doceri ac regi velimus; quam ob causam ipsos Sacerdotes, qui alios absolvunt, voluit ad peccatorum suorum veniam obtinendam, aliis peccata sua confiteri, aliorumque judicio subjici; solet nimirum Deus gratias suas et radios communicare merito tum humilitatis, tum obedientiæ, ideoque Sancti Patres recte docent hanc compendiosissimam esse ad perfectionem viam, nimirum facile nos etsi in alienis rebus lyncei et attenti sumus, in nostris ut talpæ cæcutimus, et licet simus fortasse æqui alienorum negotiorum æstimatores, nostrarum tamen animarum iniqui patroni et judices esse solemus; itaque, ut ceram ac lutum fingendum se Deo ac Directori suo tradat, animumque dilatet atque aperiat, eo capacior, ampliorque ad divinos favores recipiendos futurus, quo erit animo demissior : humilibus enim Deus dat gratiam. Hinc enim profectum est illud Matth. 18 : *Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in Regnum Cœlorum;* quare, quo Divina Providentia alicui majorem gratiarum vim destinat, eo magis causas etiam ipsas naturales ad majorem humiliationem, depressionemque prius disponit; quod, quum sciret Vates Regius dicebat, Ps. 118 : *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Jam vero, quod secundum erat, solitudo atque animi vacuitas, ea sit, quæ omnium aliarum

rerum curam excludat, ut, nec scribere, nec litteras legere, nec omnino loqui aut agere cum quoquam necesse sit, ita animus a rebus cæteris liber ac vacuus totus erit in eo studio, quod arripuit.

Pœnitentiæ, sive corporis castigationes communiter quintuplicis generis adhibendæ erunt; 1° Jejunium in pane et aqua usque ad cœnam, quæ poterit esse benignior; aut certe exacte servari conveniet legem temperantiæ et necessitatis. — 2° Flagella bis, terve noctu corpori admovenda erunt, et toties de die si valetudo patiatur. — 3° Cilicium eodem die gestandum vel e ferro, vel ære, vel certe pilis animalibus, quo pœnitens per pœnas breves redimat æternas, quibus apud inferos plurimi excruciantur, qui quam ipse levius, minusque peccarunt. — 4° In hoc genere est asperitas somni in lecto ex asserculis nudo aut sane strato quidem, sed ita, ut pœnitens, si modo per tempus et valetudinem possit, vestitus et ad moderatam quietem decumbat; itaque etiam vigilia et somni interruptio huc pertinet. Sed, in his omnibus vitanda sunt extrema duo, nec, vel devotio sit indiscreta, vel discretio indevota; ideo, ad mediocritatem retinendam, sine consilio Directoris in hoc genere nihil agatur, et nimis remissis objiciantur exempla Sanctorum, qui gravissima de peccatis suis supplicia exegerunt, nimis vero ardentibus atque excitatis fræni ex hujusmodi immodicarum mortificationum incommodis injiciantur.

Confessio generalis, mentalis oratio, reformatio vitæ sua habere debent stata tempora, horasque fixas, quorum temporum descriptio atque apta definitio pendet ex judicio Directoris; curandum tamen est ut quinque minimum horæ distinctis intervallis interruptæ quinque diversis meditationibus ad concitandum dolorem de peccatis, vitæque reformationem assignentur. Confessio

autem generalis fiat hora præcedente tempus prandii sive ante meridiem; quod, si pœnitens confitendo plus quam unius horæ spatium insumere debeat, expediet confessionem interrumpere ad meditationem interponendam, qua lacrymæ novæ eliciantur et doloris sensus sit recentior. Reliquum omne a meditationibus ac confessione liberum tempus reformationi vitæ, quam occupationem principalem appellare placet, impendatur, cui occupationi post singulas meditationes hora minimum una concedatur, et, si fieri possit, plusculum; fiet autem facile si pridie sub noctem exercitans adesse possit.

Verum nunc de meditationis, occupationisque circa vitæ reformationem arte ac methodo pluribus dicendum est : in hisce enim duabus rebus totum fere hoc negotium positum est. Atqui, ut de oratione aliquid dicere ordiamur : Si, qui exercetur, ita rudis est ut ne quidem litteras ac characteres norit, tempore meditationum circa tres orandi modos, ea, qua B. Pater methodo tradidit, occupetur. Si vero novit quidem legere, sed hebetiori, tardiorique sit ingenio, legat, expendat, colloquatur; id enim, cum tempus meditandi adfuerit, flexis coram Deo devote ac reverenter genibus, post orationem præparatoriam et præludia non nimis operosa, aggrediatur rem ipsam, 1° legendo jam argumenti propositi partem longo spiritu et tractim, reflectendo quanam in parte, verbo vel sententia vehementius afficiatur; ita primo puncto decurso, relegat eam partem, ubi magis se senserit affici; tum vero, seposita charta, verbum aut sententiam illam sigillatim expendat maxima animi tranquillitate, parique attentione, qua esse solemus cum novi aliquid occurrit animo, quod ad nos plurimum spectat, aut cum ex litteris vel aliorum relatione res graves ac magnas intelligimus, tunc

enim non cogitamus modo illa, sed revolvimus, evolvimus, expendimus, ponderamus; denique, re ita expensa colloquium instituatur cum Deo ac si præsentem eum ipsis oculis intueretur, nam, etsi eum non videmus, quibus ne aerem quidem corporeum videre licet, ita tamen intime nobis est præsens, ut si vel minimum a nobis abesset, ipsi nos subsistere nequiremus, quare ratio et fides, oculi, imaginationisque imbecillitatem maxime in hominibus rudibus fulcire debent. Ita deinceps circa alia meditationis puncta factitandum erit istiusmodi exercitanti. Quod si, punctis omnibus expensis, hora nondum effluxerit, repetat ea, circa quæ concitatiores motus senserit; finita vero hora, consideret id, quod mentem maxime commovit, idque seorsim in charta nude et sine colore scribat, conetur tamen memoriter retinere, quid super ea, quæ in chartam retulit, inter meditandum expenderit, Deoque ipsi exposuerit, ut Director ex ea postea orationis modum, successumque intelligat.

Sed nunc placet hic expeditam, ac sane perfacilem meditandi artem ac methodum iis, quibus ingenii atque judicii a benigniore natura concessum est, adjungere : ea autem quinque articulis, aut, si mavis, quinque interrogationibus concluditur; nam, facta oratione præparatoria, præmissisque præludiis, primo requirat ex se exercitans, quid in re proposita seu meditationis argumento notare debeat, quæ actio est memoriæ repræsentantis distincte atque enucleate factum opus aut rem quampiam cum omnibus conditionibus ac circumstantiis, causis, effectis et cæteris, quæ cum natura cohærent. — 2° Quærat quid circa ea omnia, quæ in meditationis argumento notavit, expendere seu ponderare, et, quod idem est, veluti in alteram cogitationis quasi bilancis partem, seipsum collocando advertere

quid officii sui sit atque muneris, quæ functio est intellectus, tum speculativa, tum practica ex re quapiam aliena officium, munusque proprium hominem ipsum docentis.

Tertio seipsum roget, quid sentire ex rebus notatis atque expensis conveniat, atque hic actus est voluntatis bonum aut amplexantis, aut malum aversantis prout res objiciuntur a memoria atque intellectu, complectiturque hæc quæstio infinitas prope voluntatis affectiones.

Quarto videat, quid practicare atque exequi in posterum debeat, et ad id præstandum se concitet, præmuniendo atque jamjam ad opus accingendo omnes facultates tum superiores, tum inferiores animi, atque adeo etiam ipsos sensus corporis, ne quid ab operis executione vacet.

Denique ultimo loco inquirat, quid a Deo petere, seu quomodo colloqui debeat. Colloquium autem illud fit ore ac verbis proponendo Deo quid facimus ac facere instituimus, supplicando ut veniam admissorum concedat, gratiam ad rectius vivendum concedat, vires conferat circa executionem eorum, quæ ei magis placent, etc.; inter quæ utendum est etiam vehementibus affectionibus, quibus mens vehementius aut ad petendum, aut ad exequendum inflammetur. Ex quibus patet in hac orandi methodo hominem totum velut sanctissimo holocausto sese, viresque omnes tum animi, tum corporis in divinum obsequium impendere; ratio itaque illa omnis orandi his quinque partibus continetur : *notare, expendere, sentire, exequi, colloqui.*

Verum, operæ pretium facturus videor, si methodum illam exemplo apposito, quasi sub oculos ipsos facilioris doctrinæ causæ subjiciam, et vero, historiam habeo, non modo ad hoc, quod tracto congruentissimam, sed etiam ad animos capiendos elegantem.

Certa fide proditum est recenti memoria virum quemdam in Hispania non genere magis quam pietate nobilem exstitisse, quem admirabilem atque inusitatum meditandi studium teneret; hic enim cum ejus studii laudes tum pro concione, tum e libris præclaras sæpe hausisset conquisitis undique chartis quidquid ad eam artem comparandam faceret, studiosissime lectitabat, et diu, multumque animi sui tum studia, tum difficultates cum iis, quos in eo genere peritos nosset conferebat. Verum, etsi multa a multis subtiliter de principiis, atque effectibus orationis audiret, et in dies magis, magisque præclarissimarum virtutum atque utilitatum narratione vehementius ad amorem inflammaretur, tamen, quod generalia dumtaxat præcepta traderentur, neque quod necessum erat ad particularia deveniretur, nondum ei facilis atque expeditus orandi modus reddebatur, donec tandem incidit inter legendum in quinque illos, quos paulo ante attulimus, quasi meditationis totius articulos : quid in argumento proposito notandum, quid exponendum, quid sentiendum, exequendum, colloquendum sit. Igitur, cum hanc meditandi formulam arripuisset, brevi ita usu aliquo profecit, ut nullis jam ab orando distractionibus interturbaretur, neque tamen ei deesset unquam, quo mentem cum Deo colloquens detineret; itaque quantum de negotiis officii sui detrahere poterat, tantum ad orationis tempus adjungebat. Post menses aliquot cœpit res civibus multis innotescere, nam solito sæpius ille ab hominibus sese avocabat. Ergo, cum aliquando inter viros primarios de variis variorum hominum studiis, quorum pars mundo, alii, toti Deo vacabant, sermones conferrentur, rogatus est is, de quo loquimur, a quopiam, qui nescio quid subolfecerat, verene nactus esset eam orandi facultatem, qua solus, in otio, sine luce, sine libris,

ulliusve mortalis opera, mentem integras horas orando detinere posset? Id autem quomodo ageret, quos exitus, quæve emolumenta, quam oblectationem ex ea re sortiretur, et sintne ea ejusmodi, quæ alii imitando consequi posse videantur? Ad quæ ille : Verissima, inquit, res est, tantamque ex ea voluptatem capio, ut — (quod aliqui vestrum facile advertunt) — quodquod ex consuetis occupationibus decidere possum, in illud unum studium convertam, atque eo jam sane deveni, ut nihil accidere mihi soleat molestius, quam ne parum urbanus sim a meo illo otio ad res terrenas avocari. Hic, cum ea, quæ supra de frustra impenso suo labore in libris diu lectitandis, consiliisque aliorum captandis narrasset, methodum illam facilem ac expeditam, quam quinque articulis comprehensam diximus, quare uteretur iis ipsis explicuit. — Sed difficile, inquiunt illi, nobis maxime inexpertis ita credere; quare gratum feceris et ad docendum apposite, si exemplo familiariter et quasi digito ostendas, quod paulo ante præscripsisti. — Imo vero, ait, faciam et libenter et facile; sum enim jam peritus, neque mihi quidquam gratius continget, quam ut vobiscum id nunc agam, quod mecum pertracto sæpissime. Agite, itaque, assignate mihi rem quampiam, qua exemplo utar ad omnes meditationis partes depingendas; forte tum ad vespertinas laudes in vicino templo æs campanum pulsabatur. Hic ex circulo aliquis : « *En habes ex ista campana, quam audis, orandi materiam agendam : aggredere.* » Primo, ex me quæram quid in campano illo ære notare debeam; et notanda statim occurrit res ipsa, instrumentum nimirum e metallo hominum arte fusum, eoque loci positum ad homines in ædem sacram agendis Deo gratiis, divinoque officio celebrando convocandos. Et vero gnaviter id muneris æs istud agit. Metallum,

ut scitis, oris malleolus, vero lingulæ officium facit; aer vero aliquid etiam in hoc genere facit, ut soni pulsatione excitati, veluti quodam internuntio ad audientium aures — (sint hi licet magno numero) — integri fideliter deferantur, quamquam et campanæ mihi videantur esse quædam tubæ, quibus Jesu Christi gloria, victoria et relatus e cruce triumphus celebratur, atque hæc fere in campanæ pulsu notanda occurrunt. Deinceps itaque pensiculatius singillatim ponderanda, id est, ex una parte res notatæ, quia jam notioris ponderis instar constituendæ, ex altera vero quasi bilancis parte eo ipse pendere debeo, ut examinem, quid e contra muneris mei sit atque officii; hoc enim est hoc loco ponderare atque expendere. Et sane inutilis est oratio si ad fructum orantis non referatur. Quid igitur hic mihi ponderandum est? Expendam profecto, quam præclare æs istud munere suo fungatur neque ab eo ex ullis hominum obloquiis retardetur; ego vero officium meum sæpe negligo, offendoque vel propter respectus hominum, vel ob imbecillitatem meam, vel ob deflendas alias animi mei miserias, quarum cogitatio ad demissionem et vercundiam coram Deo commovere potest. Præterea, metallum illud suo sonitu urbem totam ad divinas laudes concitat; ego vero vitæ improbæ exemplis offendiculo sum aliis, plurimisque oblatis occasionibus amicos ac familiares impellendi ad vanitatum solvendos laqueos, quibus irretiuntur, suscipiendamque salutis cogitationem nihil ago; præterfluere tempus oblatum patior, qua in re video me graviter reum, cum redit in mentem neglecti toties officii, cum consulere commode alieno bono possum. Jam vero, campanam officium suum facere adverto quasi lingua quadam, quam alio numquam convertit præter eos usus, ob quos ei ars concessit, cum ego e

contra, lingua a Deo concessa toties male abusus sim; nam altius hic licet repetere, quam ob causam naturæ author aut linguam condiderit, aut mihi concesserit, scilicet, ad ipsius laudes deprædicandas, beneficiorumque acceptorum immensitatem commemorandam. Addo, quod illud est uni homini, divino dono, membrum concessum profitendæ veritati, miscendisque publicæ omnium utilitati sermonibus vel ad miserorum consolationem, vel ad nutantium in bonæ vitæ instituto confirmationem, ad danda imperitis sana consilia, ad peccati fœditatem detegendam, ad officii partes explicandas, qui scilicet omnes erga Numen, erga se, erga alios gerere debeant; atqui, video in alia omnia abiisse me, illamque linguam convertisse potius ad mendacia, murmurationes, verborum acrimoniam et injurias, ejusdemque generis vitia; nam longior sim, si hic suis ponderibus æstimem quanta sit, cujusque in illo genere peccati gravitas, cum ex Domini ore audiam de verbis etiam otiosis in judicio reddendam esse rationem (Matth. 12), advertamque ex peccatis meis quædam esse adeo gravia, ut æternas inferorum pœnas facile promereantur.

Cum Superiorum permissu.

Imprimatur : Tornaci 3ª Junii 1911

V. CANTINEAU,

CAN. CENS. LIB.

Enghien. — Imp. A. Spinet

INDEX

PAGES.

Avis de l'Editeur 1
De P. Paulo Hoffæo a P. Sotwel 3
P. Hoffæi instructiones pro magistro exercitantium 7
Diversæ personarum conditiones . . . 7
Distributio temporum 11
Quædam generalia pro superioribus. . . 12
» » pro ministro externorum . 12
» » pro ministro fratrum . . 13
» » pro magistro exercitii. . 13
Admonitiones pro exercitante 17
Ordo diurnus illorum qui tribus horis exercentur 19
Ordo diei pro fratribus nostris . . . 20
Distributio exercitiorum in dimidias horas . 21
» » in duas horas . . 22
» » pro unica hora . . 23
» » in quatuor vel quinque horas. . . 24
» » in tres horas . . 24

De P. J. B. Ceccotto a P. Sotwel. . . . 31
A **P. Ceccotto** Directoris officium et munia explicantur 32
Directoris partes atque industriæ . . . 38
Exercitantis partes 41

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

1907

7. **Les règles du pur Catholicisme selon saint Ignace de Loyola.** M. MESCHLER, S. J. 38 pp. 0.75
8. **Peut-on employer les projections lumineuses dans les retraites?** G. LE BAIL. 38 pp. 0.75
9. **La Méditation fondamentale avant saint Ignace.** (Essai historique et critique.) H. WATRIGANT. 148 pp. . . . 2.50
10. **Saint Alphonse de Liguori et les retraites fermées.** R. P. WALTER, C. SS. R. 51 pp. 1 »
11. **La Retraite de Vennes.** V. HUBY (1678). 50 pp. . . . . 1 »
12. **Bibliographie des récentes publications sur les Exercices spirituels et les retraites.** H. WATRIGANT. 43 pp. . 0.80

1908

13-14. **La Vén. Catherine de Francheville, initiatrice des Retraites de femmes,** d'après le P. Pierre Champion, S. J. P. DEBUCHY. 152 pp. 2.50
15. **Breve directorium ad danda utiliter Exercitia spiritualia,** d'après un manuscrit ancien inédit. 24 pp. 0.50
16. **Retraites de sourds-muets.** H. JEANVOINE. 30 pp. . . . 0.60
17. **Ponterotto, maison de retraites pour les hommes à Rome.** MGR R. SCHÜLLER. 55 pp. 1 »
18. **Les corrections manuscrites des Exercices de saint Ignace.** A. BOONE, S. J. 30 pp. 0.60

1909

19. **Les Exercices spirituels et la Civilisation moderne.** L. TAPARELLI D'AZEGLIO, S. J. 51 pp. 1 »
20. **Mgr d'Hulst et les Exercices de saint Ignace.** M.-F. GIBERT. 42 pp. 0.80
21. **Une zélatrice des retraites, Maria-Antonia de San José de la Paz.** J.-B. COUDERC. 83 pp. 1.60
22. **Directoire pour servir à l'organisation des Retraites de départ.** L. FARSY. 75 pp. . 1.40
23. **De examine conscientiæ juxta Ecclesiæ PP., S. Thomam et FF. Vitæ communis.** H. WATRIGANT, 56 pp. . . . . 1 »
24. **Bibliographie des récentes publications sur les Exercices spirituels et les retraites.** H. WATRIGANT. 48 pp. . 0.80

1910

25. **La pratique des Exercices spirituels dans l'ancienne Mission du Maduré.** L. BESSE, S. J. 45 pp. 0.80
26. **Sacra Tempe seu de sacro Exercitiorum secessu Exempla collecta.** P. MANRIQUE. 72 pp. 1.40
27. **Les Retraites à Madagascar-Central.** C. DU COËTLOSQUET. 84 pp. 1.60
28. **Une Maison de retraites fermées à Nancy au XVIII^e siècle.** E. BOCQUILLION, 95 pp. 1.80
29-30. **Les Annotations des Exercices de S. Ignace.** P. WAMY, S. J. 80 pp. 1.60

1911

31. **La Retraite de Quimper et Victoire de Saint-Luc.** P. DEBUCHY. 96 pp. 1.80
32. **S. Charles Borromée et les Exercices de S. Ignace.** MGR A. RATTI. 42 pp. . . . 0.80
33. **Le P. Huby aux Indes ou le Miroir de l'âme chez les Protestants.** H. HOSTEN, S. J. 45 pp. 0.80
34. **Explication inédite des Règles d'Orthodoxie.** C. JUDDE. S. J. 30 pp. 0.60
35. **Duo antiqua Exercitiorum directoria.** HOFFÆUS et CECCOTTI, S. J. 50 pp. . . . . 1 »
36. **Bibliographie des récentes publications sur les Exercices spirituels et les retraites.** H. WATRIGANT. (Paraîtra en Novembre.)

P. LETHIELLEUX, Éditeur, 10, rue Cassette, PARIS (6e).

Collection des Retraites spirituelles

S. Ignatii de Loyola Exercitiorum Spiritualium editio princeps qualis in lucem prodiit Romæ MDXLVIII. Beau volume in-16 jésus sur papier vergé . . . . . **5 »**

Reproduction phototypique de la première édition des Exercices, faite à Rome en 1548 sous les yeux de saint Ignace.

Exercices spirituels de S. Ignace de Loyola, traduits sur l'Autographe espagnol, par le P. P. DEBUCHY. In-16 raisin de 231 pp. **2.50**

Ouvrage destiné à l'étude comparative de l'original et du texte latin. Pour servir parallèlement avec l'ouvrage précédent.

Francisci Suarez, S. J., de Spiritualibus Exercitiis sancti Ignatii Tractatus novis curis P. P. DEBUCHY **iterum in lucem prodit.** In-18 de 136 pp. **1.50**

Indispensable *commentaire* de Suarez qu'on devait jusqu'ici aller chercher dans la masse des in-folios et qui sera désormais *ad manum*, comme il le mérite par sa solidité et par son ancienneté.

La Conduite des Exercices spirituels de saint Ignace dans leur application aux retraites ordinaires, par le P. Pierre COTEL, de la Compagnie de Jésus. In-18 de 188 pp. . . . . **2 »**

Directoire plus moderne et plus simple, qui permettra une initiation facile aux débutants de la retraite.

Retraite à des enfants de Marie, par le P. ROLLIN, *de la Compagnie de Jésus*. In-12 de 255 pp. . . . **2 »**

Tirée à peu d'exemplaires non mis dans le commerce, cette retraite, qui fut prêchée à la Visitation de Dijon, était devenue introuvable.

Exercices du Chemin de la Croix pour les huit jours d'une retraite, par le P. MALOU, *de la Compagnie de Jésus*. In-18 de 323 pp. . . . . **1 »**

Retraite sur les qualités et devoirs du chrétien, par le P. J.-N. GROU, S. J. In-18 de 241 pp. . . . **2 »**

Reproduction conforme au manuscrit inédit.

Les quinze étapes des Exercices de saint Ignace, par le P. E. BECKER, S. J. (*Sous presse.*)

COLLEGE LIBRARY California